

sess. 24. de Reform. Cap. 1. eos anathemate damnat, qui falso affirmant, matrimonia a filiis familiaribus sine consensu parentum contracta irrita esse; & parentes ea rata vel irrita facere posse.

Id certe postulabat & ratio non una sed multiplex. Primo quia contingit aliquando filios parentibus esse prudentiores. Secundo: quia Parentes quandoque sunt perverti aut suspecte religionis. Tertio: quia ex avaritia dotem procrastinant aliquando, aut certe filios uxores quererent dote divites magis, quam moribus ornatas. Quarto: quia liberas interdum in Monasteria invitos detruderent. Quinto (ut cætera mittam plura) quia in iis eligendis & constituendis, quæ ad totius vitæ statum pertinent liber quique est, nec cuiquam ut Domino subditur, ut conceptissimis verbis S. Thomas affirmat *secunda secunde quest. 104. artic. 6.*

Hæc itaque positæ, nullius erit negotii quibusve adversæ partis momentis satisfacere. Quor enim ex Veteri Testamento leges parentibus traditas profuerunt, ut inde evincant necessarium consensum parentum; uti legere est *Exod. 34. & Deut. 7. de Chananeis: nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis. . . filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo. Jeremia 29. de Babyloniis: date filiis vestris uxores, & filias vestras date viris. Hoc pacto excipi possunt. Primo quia id non fuit ita parentibus traditum, ut Matrimonium filiorum nullatenus perferretur, si parentes huic conscientia non assentiant; sed tantum ratione reverentia & honestatis, quia cura illa & providentia ad parentes maxime pertinet: tum etiam quia maxime filia, quæ solent esse verecundiores, & ratione sexus imbecilliores indigent consilio & prudentia parentum suorum, Quod adeo verum est, ut Scriptura ipsa præbeat hujusce veritatis exempla. Nam sextentis in locis ne dum requirit liberam filiorum contrahentium voluntatem, uti *Num. ultimo: Nubant quibus volumus, tantum ut sue Tribus hominibus. Gen. 24. Vocatus puellam, & queramus voluntatem eius. 1. Corin. 7. Cui autem vult nubat tantum in Domino: Sed etiam ea agnoscit vera & rata matrimonia, quæ præter assensum parentum a filiis inita sunt, quale fuit Matrimonium infans Parentibus Angeli consilio contractum a Juniore Tobia. *Tob. 7.* quale fuit & illud Judæ Patriarchæ *Gen. 28.* & illud Esau *Gen. 26.***

Nullius plane momenti erunt etiam leges nonnullæ Imperatorum Romanorum; præterque Digesti & Codicis *Tit. de Ritu Nuptiarum*; quæ irrita vocant ea conjugia, quæ sine assensu parentum contrahuntur. Vocant enim irrita quoad effectus civiles, non quoad substantiam contractus & rationem Sacramenti, cum id non pertineat ad eorum auctoritatem, *Cum alie sint leges Cesarum, alie Christi: Aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit*; ait Hieronymus *Epist. 30.* Ita Paulus Jurisconsultus *lib. 2. Sent. dist. 14.* Ita Bignonius in formulis veteribus secundum legem

Romanam; Ita Dionysius Godefridus in *L. filius de Ritu Nupt.* ita Isaacus Habertus Vabrensis *Episcopus lib. de Justitia conubialis Edicti.*

Ne quid tamen intactum relinquunt Adversarii, momentum alterum petunt ex Concilio Aurelianense *IV. Cap. 15.* & habetur apud Gratianum *Causs. 36. quest. 1. Cap. de Raptibus*; ubi præcipitur, puellam raptam reddendam esse Patri, etiam si raptor ipsa consenserit. Cui statim subnectunt quod *Cap. apud Omnipotentem* decernitur; videlicet, quod cum rapta patri fuerit restituta, si voluntas parentis utriusque in unum convenerit, non prohibentur invicem raptor & rapta copulari; hincque colligunt hi necessitatem assensum in Matrimonio filiorum.

Duobus tamen hæc Canonibus uno & brevi verbo respondeo. Primus enim agit de puella, quæ consenserit in raptum & stuprum, non in conjugium. Secundus vero requirit consensum parentum, quia eo in casu præsumitur puella in parentum voluntate acquiescere; Frustra igitur ex iis citatis Sanctionibus hujusmodi necessitatem evincunt.

Sed est aliud, quod multo plus movet ineptos Argutiores: non deesse Evaritum Pontificem, qui hæc necessitatem conceptissimis verbis dixerit. *Aliter legitimum non sit conjugium* (Evariti verba sunt *Epist. 1. ad Episcopos Africanos apud Gratian. dist. 30. quest. 5. Cap. aliter*) nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem videntur habere, & a quibus custoditur, uxor petatur, & a parentibus & propinquioribus sponsetur. . . . Taliter enim Domino placebunt & filios non spurios sed legitimos atque hereditarios generabunt. . . . Aliter vero presumpta, non conjugia, sed ad adulteria, aut contubernia, aut Stupra, vel fornicationes potius, quam legitima conjugia esse non dubitatur. Quid quæso disertius ad necessitatem parentum assensus probationem?

Id prima quidem fronte efficacissimum videtur ac plane decretorium. Sed si citatum Evariti momentum intimius pensitaretur, concludendum esset nobis, non ita profecto sensit Pontificem. Et primo quidem: Alias longe multas condiciones exigit eo loci Evaritus; ut nimirum puella legibus dotetur; ut cum precibus & oblationibus a Sacerdote benedicatur; ut biduo vel triduo ante una cum Sponso Orationibus vacet, Quas tamen condiciones quis sustinet necessarias? Secundo: vocat quidem illegitimum illud Matrimonium, quod in initum sit sine voluntate parentum, sed in foro externo, non in conscientia, quia non est secundum leges, & quod sit contra leges, etiam si subsistat, in foro externo legitimum negatur esse. Tertio: hujusmodi Matrimonia adulteria & supra dicuntur juris præsumptione, non rei veritate; similitudine, non re factioque; quia meretricio magis quam conjugali affectu suscepta præsumuntur. Ita revera sensit Evaritum liquet maxime, quia subinde ea illegitima vocat, nec tamen jubet iterari aut rescindi, sed tantum gravi poena castigari.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Sacramento Pœnitentiæ.

PRÆLECTIO I.

Pœnitentiæ Sacramentum quid sit; varie ejusdem acceptiones. Infana Hæreticorum commenta eliduntur, exsufflantur.

DE Sacramento Pœnitentiæ in presentia sermonem habituri, ne vanis proloquiis ludamus tempus & operam, sub ipso statim initio notandum velim multiplicem Pœnitentiæ acceptionem; ut dein ad ea refellenda commenta, quæ a nonnullis Hæreticis de hoc Sacramento temere conficta sunt, recto ordine procedamus. Dicitur itaque primo dolor de re quæcumque perpetrata. Secundo: Dicitur Dolor de malo admissio non Dei, sed sui causa. Tertio: Dolor de malo admissio Dei causa, non sui; Et hæc bifariam accipitur; vel pro actu mere interno; & hæc ad Pœnitentiæ pertinet, ut Virtus est: vel pro actu externo, delicta sua Ecclesiæ clavibus subjiciendo; & hæc Sacramentum est. De hac ultima differendum est nobis, quærendumque, an detur in Ecclesiæ remedium aliquid, quo peccata post baptismum commissa remitti possint.

Montanistæ, dicti etiam Cataphruges a Phrygia, unde hæresis orta fuit, dicti & Pepusiani, a Pepusa Vico Phrygia; putarunt, nullum dari in Ecclesiæ remedium, quo peccata post baptismum commissa, remittantur.

Novatiani e contra, ita dicti a Novatiano quodam Romæ Ecclesiæ Presbytero, quem Novatus Carthaginensis Romam profectus in erroris sui focium assumptis, existimantur, dari in Ecclesiæ potestatem remittendi sola leviora peccata, minime vero graviora.

Lutherani tandem & Calvinistæ aliud quiddam commenti sunt: nempe remedium, quod Christus D. instituit in nova lege ad remittenda peccata post baptismum commissa, aliud non esse, quam memoriam Baptismi antea suscepti; & Fidem, qua quis credit peccata sibi per Christum esse dimissa.

Ut ergo Catholica Veritas statuatur; facturos nos opere pretium existimamus, ut ea antea Scripturarum Oracula elucidemus, quæ Montanistæ & Novatiani sententiam suam adstruere conitantur.

Produnt itaque loco primo quod legitur *Epist. ad Hebræos 6. Impossibile est, eos qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cælestis, & participes facti sunt Spiritus S. Gustaverunt nihilominus bonum Dei Verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiæ, rursus crucifigentes sibi ipsos filium Dei, & ostentus habentes.*

Huic statim subnectunt, quod ibidem legitur *cap. 10. voluntatis enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquunt pro peccatis hostia; terribilis autem quadam expectatio iudicii, & ignis æmulationis, quæ consumptura est adversarios. Ex quibus locis evincunt, nulla prorsus dari peccata, quæ ab Ecclesiæ remitti possint.*

Confirmant hoc vel maxime exemplo Esau, qui non invenit locum pœnitentiæ, quam lachrymis & ejulatione magno perquisivit *ad Hebræos 12. Tum & illo Antiochi pœnitentiæ qui eam miser-*

cordiam postulabat, quam consecutus non erat *2. Machab. 9.*

Novatiani vero ut probent, leviora tantum peccata esse remissibilia ab Ecclesiæ, congerunt alia multa Scripturarum momenta.

Afferunt itaque primo quod legitur *Matth. 12. Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit Verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro.*

Huic addunt & alterum, *libr. 1. Reg. cap. 2. Si peccaverit vir in virum, placari ei poterit Deus: Si autem in Dominum peccaverit vir, quis rogabit pro eo? Si in vanum ergo (subjungunt hi) quis oraret pro eo, qui peccavisset in Dominum; profecto liquet nullum dari in Ecclesiæ remedium ad remissionem hujusmodi peccati.*

Produnt ad cumulum probationis quod habetur, *1. Joan. 5. qui scit fratrem suum peccare peccato non ad mortem; peccat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis. Si ait ergo Joannes, dari remedium peccanti non ad mortem; nullum vero peccanti ad mortem: equis non videt dari peccata alia remissibilia, alia vero irremissibilia ab Ecclesiæ?*

Sed pura putæque cavillationes illæ sunt, ex mera verborum æquivocatione obortæ, tamen difertissima testimonia prima fronte videntur; idcirco breve ad singula habeto responsum.

Primum desumptum momentum ex *Epist. ad Hebræos* intelligendum existimant de Sacramento Baptismatis Patres longe multi, quos inter præcipui sunt S. Ambrosius *lib. 2. de Pœnit. cap. 11.* S. Augustinus in *expositione inchoata Epist. ad Romanos*, & S. Joannes Damascenus *lib. 4. de Fide Orthodoxa cap. 10.* non vero de Pœnitentiæ de qua sermo est. Et sane: Quid aliud sonant ea verba, qui semel sunt illuminati. . . rursus renovari, quam Sacramentum Baptismatis, quod ubique passim a Patribus Sacramentum illuminationis & renovationis appellatur? Quid etiam aliud quod subditur *rursus crucifigentes sibi ipsos filium Dei*, quam Baptisma, in quo configuramur Christo Crucifixo, qui quemadmodum nequit iterum crucifigi; ita nemo potest iterum baptizari?

Eadem via expediunt momentum alterum ibidem sumptum *cap. 10. Chrysofostomus & Augustinus*; ut videlicet *hostia* nomine, non Pœnitentiæ, sed nova Christi oblatio intelligatur.

Ad ea vero quæ proferuntur Esau, & Antiochi pœnitentiæ exempla, repono cum D. Thoma *in 4. Sent. dist. 20. quest. 1. art. 1. quæstioncula 1. ad 1. non vere pœnituisse Esau, nec eam lachrymis petiisse pœnitentiæ, quæ remitteret peccata sua; sed ut Patrem ejus Isaac pœniteret data Benedictionis Jacob fratri suo, propter quam rugit clamore magno, semperque oderat Jacob, dicens in corde suo: Venient dies luctus Patris mei, & occidam Jacob fratrem meum, Gen. 27. Legatur etiam in *epist. ad Hebræos c. 12. lect. 3. prope finem.**

Non absurdè Antiochus: Flebat enim peccata sua, non propter divinam illam offensam, quæ præsto est vere pœnitenti; sed propter eum dolorem viscerum, quo continuo angebatur, qui

que per momenta singula augmentum capiebat. quod aperte liquet ex eo, quod legitur 2. Machab. 9. *Capit ex gratia superbia deductus ad agnitionem sui venire divina admonitionis plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus. Et cum nec ipse jam factorem suum ferre posset, ita ait: Iustum esse subditum esse Deo, & mortalem non parva Deo sentire. Orabat autem hic sceleratus Dominum, a quo non esse misericordiam consecutus.*

Procedamus nunc suo ordine ad Novatianorum momenta refellenda, ne ipsorum difficultate deterriti dare terga videamur.

Quod ergo ab iis loco primo colligitur *Matth. cap. 12.* para, putaque halucinatio est: Ille enim Textus non est ita intelligendus, quasi quod quaecumque peccata contra Spiritum S. sint irremissibilia absolute; sed quod difficilius ceteris remittantur; Scriptura enim res difficiles verbis impossibilitatem denotantibus saepius exprimit; & quamquam dentur nonnulla peccata in Spiritum S. quae absolute remitti nequeant, id profecto contingit, non defectu potestatis in Ecclesia, sed ex defectu dispositionum in delinquente.

Quod autem ex *lib. 1. Reg. cap. 2.* allatum est, uno verbo exufflatur. Ea etenim verba *quis orabit pro eo*; non negantis sed admirantis verba sunt, ut denotet, non quaecumque preces sufficere pro peccante in Dominum, sed validissimas, efficacissimas. Quoniam, ut ait Augustinus *lib. 1. Retract. cap. 19. de quocumque pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur de quo non desperatur.*

Id ipsum reponi potest ad alterum Joannis momentum. Pro peccato ad mortem, non est intelligendum peccatum absolute irremissibile; sed peccatum gravissimum, pro cuius remissione viri etiam Sanctitate & pietate percipi difficultate exaudiuntur, ut ex iisdem verbis liquet: *Non dico ut roget quis.*

Difectis igitur, dirutisque momentis, quae Montanistae & Novatiani sententiam suam adstruere conantur; Restat nunc ut catholicum dogma novis Scripturarum Oraculis propugnemus, ostendamusque dari in Ecclesia remedium remittendi quaecumque peccata post baptismum commissa. Quid enim apertius sacris in litteris, quam Christum Dominum dedisse Ecclesiae potestatem remittendi peccata, quaecumque sint? cum ubique passim de peccatis indefinite, indistincte, & ulla sine exceptione loquantur. *Quorum remisistis peccata, ait Joannes cap. 20. remittuntur eis: quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in Caelo, & quaecumque solveritis super terram, erunt soluta & in Caelo. Matth. 18.* Multo luculentius eodem cap. 18. ubi Christus dedit Petro interroganti facultatem dimittendi indistincte peccata non tam usque septies, sed usque septuagies septies. *Septies vero iuxta phrasim hebraicam significat indefinite multoties, saepe, unde septuagies septies significat indefinite, longe sapissimum.* Si porro in Ecclesia non daretur remedium dimittendi peccata, certe nec Christus Petro, ejusque successoribus hanc facultatem indidisset.

Prælo sunt etiam alia multa sacrarum Scripturarum Oracula, quibus baptizati incitantur ad poenitentiam: *Athum enim 8. legimus hoc pacto loquentem Petrum ad Simonem Magum, qui jam crediderat, & baptizatus erat. Poenitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui.*

Non abfimiliter Paulus 1. ad *Corinth. 5. & 2. ad Corinth. 7.* Corinthum fornicarium & alios Christianos hortatur ad poenitentiam: quis vero non videt, id frustra Apostolos præcepisse, si nulum daretur in Ecclesia remedium remittendi peccata?

Reliquum est, ut probemus contra Lutheranos & Calvinistas, Remedium a Christo Domino institutum in nova lege, non esse memoriam baptismi antea suscepti; nec fidem, qua quis credit, peccata sibi per Christum esse dimissa.

In primis enim ea in hypothesi Poenitentia non esset nisi Baptismus ipse, sola memoria & apprehensione repetitur: cum tamen confet ex Evangelio, poenitentiam seu viam illam dimittendi peccata esse peculiarem quandam potestatem a Christo Apostolis, eorumque successoribus concessam. Ad hæc: Eadem in Ecclesia potestas est ligandi & solvendi, retinendi & dimittendi: Si ergo remissio per hoc, quod quis in memoriam revocat baptismum ante susceptum, retentio peccatorum fieret per hoc, quod quis baptismum suum in memoriam minime revocaret.

Non omiserim observare, remissionem peccatorum ex parte peccatoris, fieri debere per aliquem actum laboriosum & meritorium, ut legitur *Joel. 2. Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra: & Job ultimo: Idcirco me reprehendo, & ago poenitentiam in favilla & cinere.* Porro quis labor est baptisma suum antea susceptum in memoriam revocare, ut ex eo possit homo promereri?

Hoc idem verbis amplissimis testantur Patres omnis ætatis, sacrarumque Scripturarum Interpretes, qui de Baptismo & Poenitentia uti de Sacramento inter sese plane diversis loquuti sunt.

S. Ambrosius *lib. 1. de Poenit. cap. 7.* *Non interest utrum per poenitentiam, an per lavacrum jus remittendi peccata sibi vendicent Sacerdotes: idem in utroque mysterio est.*

S. Joannes Chrysostomus *lib. 3. de Sacerd. cap. 7.* *Non solum Sacerdotes regenerant sed etiam condonandorum obtinent potestatem. Multo vero explicatius Homil. 9. in Epist. ad Hebræos: Novos facere est solus Baptismi. Poenitentia autem est, eos, qui novi facti sunt deinde in peccatis involverarunt, liberare a vetustate, solidoque reddere.*

S. Cyrillus Alexandrinus *lib. 12. in Joan. Duobus modis Dei Spiritu pleni homines peccata remittunt ac retinent: vel cum dignis admittunt ad baptismum, vel indignos excludunt; vel cum filios Ecclesie peccatores corrumpunt ac poenitentibus ignoscunt.*

S. Augustinus *Epist. 228. olim 180. ad Honoratum scribens de persecutione Wandalarum: An non cogitamus cum ad istorum periculum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantum in Ecclesia fieri solet ab utroque sexu atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismus flagitantibus, aliis reconciliationem?*

S. Leo *Epist. 82. olim 91. ad Theodorum Forojulientem Episcopum: Multiplex misericordia Dei in lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per Poenitentiae medicinam spes vite repararetur aeterna.*

Unus forsitan erit Augustini locus; nempe *lib. 1. de Nupt. & concup. cap. 33. & 34.* qui nobis objici potest, ubi hæc habet: *Eodem lavacro regenerationis, & verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratarum mündentur, atque sanentur; non solum peccata, quae omnia nunc remittuntur in Baptismo; sed etiam quae posterius humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur. Quibus verbis existimant eo loci subindicare voluisse remedium ad remittenda peccata post baptismum commissa, esse memoriam baptismi antea suscepti.*

At non advertunt imprudentes, intellexisse Augustinum baptisma remittere peccata posterius admissa remote & dispositiva, quatenus est Janua, & dat jus ad alia Sacramenta percipienda. Hanc unam

unam ejusdem Doctoris fuisse mentem, ea, quae subsequuntur verba declarant: *Quid enim profectet vel ante Baptismum Poenitentia, nisi Baptismus sequeretur; vel postea nisi procederet?*

Sed est aliud, quod multo plus movet Adversarios, S. Fulgentii momentum *lib. de fide ad Pet. cap. 30.* ubi vocat Baptismum Sacramentum fidei & poenitentiae, juxta quod scribitur de Joanne *Luce 3. venit predicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.*

At bona eorum venia, minus vere. Loquitur enim eo loci Fulgentius de Baptismo adultorum, in cujus susceptione exercet aditus internos aliquos actus virtutis poenitentiae; juxta illud *Act. 2. Poenitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum.* Stat itaque certum, indubitatumque, remedium a Christo D. institutum ad remittenda peccata post baptismum commissa, non esse memoriam Baptismatis antea suscepti.

Reliquum modo est, ut nec fidem, qua quis credit peccata sibi per Christum esse dimissa, esse remedium ad remittenda peccata, novis animadversionibus statuamus.

Et sane. Etsi Fides dispositio sit ad recipiendam remissionem peccatorum in Sacramento etiam poenitentiae; implicat tamen, illam esse fidem, qua quis credit sibi dimissa esse peccata; eam namque describens Apostolus, fidem esse divinarum Mysteriorum ostendit ad *Hebr. 11.*

Ad hæc etiam: Repugnat hujusmodi fides, quia nemo scit an odio, an amore dignus sit. Deinde etsi quis certus sibi esse possit de pronam Dei misericordia ad dimittenda peccata, de applicatione tamen individua ac de conditione nunquam sibi certus esse potest, juxta illud quod legitur apud *Apost. 1. Corinth. 4. Neque me ipsum judico: nihil enim mihi conscius sum. Proverb. 20. quis potest dicere mundum est cor meum: purus sum a peccato? Job. 9. Etiam si simplex fuero: hoc ipsum ignorabit anima mea. Sed age certus quis esse possit sibi per Christum dimissa esse peccata: nihilo fecius implicat contradictionem certitudinem illam, fidem illam esse remissivam ac dimissivam peccati. Quod enim peccatum supponit esse dimissum, peccatum non dimittit.*

PRÆLECTIO II.

Publicæ olim obunda Poenitentiae ritus explicatur; Peccata etiam occulta modo canonica essent ad septimum usque seculum publicæ poenitentiae subijci, asseritur. Quando nam tandem, & Cur nos ille subijciendi peccata occulta publicæ poenitentiae exolverit, demonstratur.

Quam ante dies aliquot fidem dedimus publicæ olim poenitentiae ritum paulo distinctius explicandi, hanc hodie resumtis viribus exolvemus. Erit id instituto, quod suscepimus, opportunum, ac etiam necessarium. Cum enim vix ullum antiquæ disciplinae vestigium extet in Ecclesia Catholica, a plerisque quid rei fuerit ignoratur. Quare ut levem saltem illius notitiam habeat studiosa Juventus, facturos nos operæ pretium existimavimus, si nonnihil hoc de argumento vel breviter diceremus.

Ritus igitur obunda olim publicæ poenitentiae ineunte secundo Ecclesie saeculo institutus ad certam debitamque formam vertente saeculo tercio redactus est; occasione scilicet Declinæ persecutionis, in qua cum multi Christiani sese Idololatriæ vitio aliisque criminibus polluisent, reddita subinde Ecclesie pace, ad publicam delictorum poenitentiam subeundam adacti sunt.

Ante id temporis, imponendæ ordinandæque

publicæ poenitentiae Episcopi abunde sufficiebant, sed aucto tunc delinquentium numero, publicos poenitentiariorum adjungere necesse fuit.

Ita porro tota res agebatur. Quatuor erant poenitentium gradus: Plentium, audientium, substratorum, & consistentium: quos successive percurrerant.

Prima Statio plentium, extra Ecclesiam seu Templi fores: puta in porticu, seu vestibulo, unde ad Synaxes erat iter. Horum nonnulli etiam extra vestibulum sub dio manere cogebantur, qui idecirco Hyemantes sunt appellati a Synodo An-cyranâ *Can. 17.* Qui nimirum habita cum brutis animantibus infami copula, lepra sedati fuerant; ne scilicet alios inficerent. Hi veste lugubri induti, cinere & cilicio fordidi, neglecto in frontem & oculos capillitio, fideles templum subeuntes rogabant cum ingenti fletu, ut preces ad Deum funderent, quo facilius patrorum scelerrum veniam obtinerent.

Statio audientium in extrema Templi parte erat, Januis conjuncta, quæ & Nartex dicebatur: quantum satis illis esset, ut psalmodiarum cantum, Sacrae Scripturae lectionem, & Episcoporum conciones audire possent et longinquo: uti Ethnicis etiam, Hebræis, Hæreticis, Schismaticis, & Catechumenis primi ordinis audire ex eodem loco permittebatur. Nulla opera laboriosa audientibus imponebantur; quæ veto faciebant, non jussi, sed sponte faciebant.

Statio substratorum erat intimior versus ambonem Templi, versus scilicet locum illum, ex quo Scripturae publice legebantur, psalmi canebantur, & conciones ad populum habebantur. Toto substrationis tempore, quod plurimum semper annorum erat, manus illis genuflexis imponebantur a Sacerdotibus, cum variarum precum recitatione ante sacrificii oblationem. Tunc enim expellebantur, Diacono inclamante, *exite quicumque estis in poenitentia.* In ea statione positus varia implenda injungebantur opera laboriosa, flagella, elemosynæ, fundendæ orationes: maxime vero Carinae variae jejundanæ, feriasque legitimæ.

Statio ultima Consistentium erat ab ambone versus Sanctuarium. Ille sacrificio quidem intererant cum ceteris fidelibus, jus tamen oblationis non habebant; multo minus Christi corpori communicabant.

Post hæc sequebatur reconciliatio feria quinta in Cœna Domini per Dominici corporis participationem: Non hoc ipso anno, quo cœpta fuerat publicæ poenitentia: Sic enim publicæ poenitentia non nisi 40. dierum fuisset, sed justo annorum numero elapso, pro criminum gravitate.

Summa penes Episcopos potestas erat dispensandi tum in stationibus seu gradibus poenitentiae publicæ, tum super annis, quibus secundum canones peragenda fuisset. In stationibus, inquam, adeo ut prætermissa statione fletus, recta poenitens mitteretur ad stationem auditus; aut illa etiam prætermissa, recta mitteretur ad stationem substrationis, aut etiam consistentiæ. Sed non nisi gravi de causa; in delictis maxime adulterii, & quæ sanguine in saeculo vindicantur. In annis vero, & ad accelerandam absolutionem in quinque maxime casibus. Primo: In mortis periculo. Secundo: imminente persecutione. Tertio: dum imminerebatur periculum Schismatis. Quarto: dum egregium aliquod facinus pro Ecclesia poenitens patrabat. Quinto: dum libellis Indulgentiæ a Martyribus donabantur, & commendabantur.

Publica poenitentia semel tantum ab Ecclesia concedebatur gravius criminum reis, ut ad participationem Dominici corporis admitterentur. Quare si quis peccata semel publicæ poenitentia, acce-

acceptaque demum reconciliatione in canonica delicta relaberetur, a Domini corporis participatione ad obitum usque arcebat. Absolutio tamen Sacramentalis iisdem in morte concedebatur.

Clerici Majores, Sacerdotes nimirum & Episcopi publicæ poenitentiae non addebantur præmissa depositione tribus primis Ecclesiae saeculis; at postea in monasteria aliave secretoria loca detrahebantur ad poenitentiam perpetuam illic peragendam; Si tamen publicam agere postulerent, iisdem concedebatur.

Publicæ poenitentiae tria tantum peccata subijciebantur. Idololatria, Homicidium, & Mæchia. Sed secundum variarum Ecclesiarum disciplinam, alia quoque peccata, utpote quæ ad tria illa revocabantur, publicæ perinde poenitentiae subijciebantur.

Ad Idololatriam revocabantur Arioli, Magi, Incantatores, Dæmonum consultores, Idolotitofagi, & Libellatici.

Ad Homicidas revocabantur procurantes abortum, falsi testes, & falsi accusatores in causa maxime capitali, calumniatores maxime Clericorum, Sepulchrorum efflores.

Ad Mæchos, omnes turpitudinum species, excepta simplici pollutione: Hæc canonica crimina dicebantur, quia per sacros Canones non nisi publica poenitentia expiabantur.

Rigor publicæ poenitentiae a sæculo secundo usque ad finem septimi perennavit; a fine septimi usque ad decimum continuavit, pro peccatis canonicis, modo tamen publica fuissent, a decimo sæculo paulatim & sensim sine sensu negligi cœpit. Partim ex Ecclesiae indulgentia, partim ex fidelium tempore jugum illud ferre detestantur. Nulla tamen publica Ecclesiae lege sublata est ritus ille, sed per defuetudinem abiit. In Concilio Tridentino optarunt plerique Episcopi, præsertim Hispaniarum, ut restitueretur ritus ille, saltem pro peccatis publicis: at furdus cecinerunt, nihilque ad illius instaurationem decretum est.

Hicce igitur, quæ de publicæ poenitentiae ritu a nobis hæcenus dicta sunt, in summam deductis, exponendum nunc, peccata etiam occulta publicæ poenitentiae subiecta fuisse, modo canonica essent, ad septimum usque sæculum; quod loco secundo proposuimus.

Sic quippe summa confessione definiunt Ecclesiae Patres; quorum verba syllabam referre non piget.

S. Basiliius Epist. ad Amphiloebium Can. 34. Adulterio polluta mulieres, & confitentis ob pietatem, vel quomodocumque convictas, publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbentur.

Nil minus diserte S. Ambrosius lib. 1. de Poenit. cap. 16. Si quis igitur occulta crimina habens . . . petat cum populi totius fletibus, ut ignoscatur abscret: & cum secundo ac tertio fuerit dilata ejus communitio, credat se remissius supplicasse.

Accedit Innocentius I. Epist. 2. ad Victricium Rothomag. cap. 12. Virgines, quæ Christo spiritua-liter nupserunt, & velari a Sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint, vel se clanculum corruperint, non eas admittendas esse ad agendam poenitentiam. Quæ verba adeo diserta sunt, ut commentatione nostra non egeant.

Quamquam quid Patrum suffragia congeruntur, ubi res patet ipsa per sese? Habemus enim factum illius nobilis Matronæ in Ecclesia Constantinopolitana sub Nectario, quæ a Poenitentiario iusta, canonica quædam crimina publice confiteri ad publicam poenitentiam, stuprum etiam cum Diacono in templo admiffum secreto, publice declaravit: unde ortum scandalum ingens, telte Socrate

lib. 1. Hist. cap. 19. & Sozomeno lib. 7. cap. 16.

Habemus & alterum Potamii Bracarenfis Episcopi, qui se occultissimæ fornicationis reum confessus est, data Epistola ad Patres Concilii X. Toletani Anni 656. ob quam per novem jam menses a muniis Episcopaliibus abluenerat, & in quodam se concluderet ergastulo. Quinimo a Patribus depositus est, ejusque loco suffectus fuit Fructuofus Dumienfis Episcopus, ut legere est in Actis laudati Concilii.

Ad hæc etiam: Sacri Canones a Conciliis editi, etsi genera peccatorum distinguant, publica tamen a secretis non distinguunt, ex quo Poenitentiariis per spontaneam declarationem innoscerunt.

Quin & illud addiderim: Peccata, pro quibus Clerici Majores deponerentur, & in Monasteria, aliave loca secretoria detrahebantur poenitentiam aduri post tertium sæculum; ea in laicis publicæ poenitentiae subdebantur. At Clerici Majores pro peccatis etiam occultis ubi semel in confessione declarabantur, deponerentur; adeo verum peccata etiam occulta subijcie publicæ poenitentiae.

Si quis tamen querat ex me, antequam finem imponam; quandonam, & cur mos ille subijcendi peccata occulta publicæ poenitentiae exolere cœperit; Dicam breviter, exolevisse sæculo septimo cadente ob quatuor potissimas rationes, ut alias mittam plures, quarum qualibet parvi vel penè nullius momenti videtur esse. Prima fuit violatio Sigilli partim ex facta publica declaratione, partim ex annorum numero: At volente & consentiente poenitente, non reputatur violari Sigillum: porro nemo nisi volens publicæ poenitentiae subijciebatur; quamquam non abolveretur, nisi subijceret sese. Deinde non tenebatur publice proflare speciem delicti, sed generatim dicere, se gravis peccati reum esse. Nec ex annorum numero quo quis erat in publica poenitentia, poterat alius dignoscere speciem delicti. Tum quod Episcopi in annorum numero, uti diximus, sæpius dispensarent: Tum etiam quia multi graviorum criminum minime rei, ex pietate ac Religione publicam poenitentiam agebant. Secunda facta violatio ordinis correctionis fraternæ in Evangelio constituti: Ne alicujus delictum Ecclesiae denunciaretur, nisi privatam & secretam correptionem contempserit. At non nisi ipsi consentientibus & volentibus id fiebat, ac veluti renuntiantibus juri suo; unde si confenserit, nulla illi fit injuria ab altero, qui eum ordinem prætermittit. Nec dicas non licere propriæ famæ renunciare, dicente Deo curam habere de bono nomine, nec enim ea delicti qualicumque publicatio fit ad infamiam, sed ad illius remissionem. Tertia periculum fuit, cui committebantur mulieres adulteræ, si publicæ poenitentiae subijcerentur, ne videlicet a Maritis Zelotypis occiderentur. Sed nec ex publica Poenitentia retegebatur adulterium: Tum quod ab Episcopis prudentibus recta ad conscientiam mitterentur, prioribus stationibus prætermisiss; Tum quod peccati speciem publice fateri nemo cogeretur; fatique esset, si se quique capitalis criminis reum fateretur; Tum demum, quod non statim patrato scelere, sed datis induciis publica poenitentia imponeretur. Quarta fuit periculum, cui committebantur rei illorum criminum, quæ ad sæculi forum pertinebant. Cui eadem, quæ supra, suppetit responso.

PRÆLECTIO III.

Distincta & individua peccatorum declaratio faciendæ est Sacerdoti jure divino.

DE confessione Peccatorum dum quarimus, monstro fortasse simillimum videbitur vobis, illud in questionem venire potuisse, sit ne faciendæ distincta & individua peccatorum declaratio Sacerdoti jure divino? Cum tot & tanta præsto sint Scripturarum & Patrum oracula, ut nulli dubium subesse possit. Inveniunt tamen pessimæ facinorosi Homines, qui editis etiam magna mole libris id impugnavit auri sint. Quos itaque ut nos pro officii munere debellemus, istud primum ex adverso principium ponimus, probandumque suscipimus, jure divino faciendam esse Sacerdoti distinctam & individua peccatorum declarationem.

Id ut evincam, efficacissimum videtur esse, quod legitur *Matth. 18. quæcumque alligaveris super terram, erunt ligata & in Cælo; & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in Cælo.* Nil minus decretorium erit & id quod legitur *Joann. cap. 20. Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt.* Ex quibus Evangelicis verbis colligitur, debere Sacerdotem jure divino, quæ peccata retinenda sint, quæve dimittenda, quænam & cuique satisfactio imponenda, judicare.

Idem evincere facile fuerit ex Præfatis Ecclesiae Patribus, qui judicariam potestatem Sacerdotibus a Christo collatam agnoscunt de peccatis etiam occultis. *Chrysost. lib. 3. de Sacerd. S. Ambrosius lib. 1. de Poenit. cap. 2. S. Augustinus lib. 20. de Civit. cap. 11. S. Gregorius Magnus Homil. 26. in Evang.*

Agnoscunt itidem Patres, & sexcentis in locis indignant, Sacerdotes a Christo D. institutos esse medicos spirituales peccatorum nostrorum in Sacro Poenitentia Tribunali: *Origenes homil. 2. in Levit. S. Basiliius quest. 100. in Regulis brevioribus ad interrogationem 229. S. Gregorius Nyssenus Orat. 3. S. Joannes Chrysostomus lib. 3. de Sacerd. cap. 5. S. Hieronymus in cap. 10. Ecclesiasticis; Augustinus in Psalm. 66.*

Neque obest, quod quis nobis obrudat frequentes Patrum locutiones, maxime vero S. Joannis Chrysostomi in *Homiliis ad populum Antiochenum, in Psalmos, & in Epist. ad Hebræos*, quibus afferunt peccata soli Deo esse declaranda, non hominibus; mente revolventa non prodenda. Nam in sententia Patrum, peccata soli Deo declarantur, non hominibus, dum Sacerdotibus in Sacro Tribunali panduntur; quia Sacerdotes non ut homines ibi sedent, sed ut Dei ministri; non ut prodant, non ut infamant; sed ut curent, ut dimittant, ut absolvant. Secundo: quia Patres hi quandoque loquuntur de quotidiana confessione, seu de conscientia examine. Tertio: quandoque agunt de peccatis quotidianis, seu venialibus, in quæ justis septies in die cadunt. Quarto: quandoque sermones illos habent ad Catechumenos, seu illuminandos; adeoque agunt de peccatis ante baptismum commissis, quæ ne Sacerdotibus quidem declarare opus est.

Laudatis hæc Patribus adjuge; quod antiqui canones poenitentiales jam a tertio & quarto sæculo a SS. PP. digesti Sacerdotibus præscribunt has vel illas poenitentias imponendas pro peccatis occultis, ut pro homicidio occulto, pro adultério occulto & similibus; Supponunt ergo, ea illis innoscere; quomodo, rogo vos, nisi per declarationem rei?

Quomodo id fieri potest, (en quid ad hoc

reponit Calvinus lib. 3. cap. 4.) si nulla, ante Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. Anno 1215. publica lege præcepta legitur confessio aricularis *Can. 21. Falsum, inquit ego, & ab omni veri specie remotissimum ex laudatis supra Canonibus facile deprehendet, quisquis paulisper attenderit. Concilium enim Lateranense non confessionem articularem absolute præscripsit, sed præfinivit tempus implendi, quod supponebat, divini præcepti; nempe semel ad minus in Anno; quemadmodum & de præcepto Communicandi.*

At acerrimis Impugnatoribus nec deest ingenium, nec eruditio, nec industria, ut huic faciendæ peccatorum declarationi Sacerdoti jure divino, multo validius advenferunt.

Proferunt itaque factum Nectarii Episcopi Constantinopolitani, qui Poenitentiarium Presbyterum Constantinopoli abrogavit; propterea quod nobilis quædam mulier confessæ erat, Diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse: quod certe ab Episcopo Nectario fieri non potuisset, si ea peccatorum declaratio juris divini esset.

Argute sane atque subtiliter disputatum, sed nihil ad institutum: nam publicam tantum arcanorum peccatorum confessionem cum Poenitentiario Constantinopolitano abrogavit Nectarius, non fecerem peccatorum confessionem, de qua sermo nem habemus.

Nec valet quod in sui erroris præsidium adiungunt: Nectarium ob id dedisse liberam potestatem, ut pro sua quisque conscientia, ad Mysteriorum participanda accederet. Id enim factum per dispensationem a publica peccatorum occultorum confessione, non per dispensationem a Sacramentali confessione.

Non desinunt tamen in contrarium eniti, nosque nodos innectere, his potissimum rationibus fulti. Primo quidem; saltem fidei dogma non esse ajunt, Confessionem Sacerdoti esse faciendam, sed ut ut maxime Theologicam esse Sententiam, quam salva fide negare liceat. Nono quippe Ecclesiae sæculo in utramque partem ea questio movebatur, aliis in Ecclesia negantibus; aliis affirmantibus. Ita testantur illius ætatis Scriptores, Haymo Halberkatenfis in *Evangelium Dom. 15. post Pentecostem, & Alcuinus Epist. 71.* Quin etiam Concilium Cabilonense II. tunc habitum *Can. 33. quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percipientes.* Similiter sæculo decimotertio multi Catholici censebant confessionem soli Deo esse faciendam absque ullo Sacerdotali Ministerio. Testes sunt Magister Sententiarum lib. 4. dist. 17. & Gratianus dist. 1. de Poenit. Imo iste productis utriusque sententiæ fundamentis, tum negantium, tum affirmantium, lectoris iudicium relinquit, ut quam malit sententiam amplectatur, eo quod utraque fautores habeat sapientes ac religiosus. Quod etiam confirmat auctoritate Theodori Cantuariensis in Poenitentiario suo scriptis: *quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci: quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percipientes, ut tota fere Sancta Ecclesia: quod utrumque inter Sanctam sit Ecclesiam.*

Quin etiam post Concilium Lateranense IV. Joannes Semeca Gratiani Glossator, Confessionis oralis necessitatem aperte rejicit. Et Petrus Oxoniensis in Salmaticensi Universitate Professor libellum edidit de Confessione, ubi has propositiones aperte propugnat. Prima: *Peccata mortalia quantum ad culpam & poenam alterius sæculi, delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves Ecclesie.* Secunda: *Confessio de peccatis in specie fuit.*

fuit ex aliquo statuto unioersalis Ecclesie, non de iure diuino. Hinc forte colliget aliquis, non esse fidei dogma quod propugnamus, sed rem opinionis liberam.

Responsio in promptu est. Fuere quidem saculo 9. qui sentirent sufficere absolute confessionem Deo factam: at quinam illi essent, cuiusve auctoritatis, aut dignitatis, ut suam illam sententiam probabilem facerent, ignoratur. Id nobis satis sit, Concilium Cabilonenfe, a quo discordantes, etate sua, sententias illas didicimus, Ecclesie proximam & usum opponere viris illis, Confessione auricularis necessitatem negantibus. Sic enim habet *Can. 33. Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percipiunt. Quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam sit Ecclesiam: hoc est confessio Deo, & confessio Sacerdoti. Ex Ecclesia porro praxi & usu, de opinionibus iudicandum est, an ad fidem pertineant, ne, non ex priuatorum opinionibus.*

Idem dici possit de viris, ita perinde opinantibus saculo decimo tertio, nisi ex Gratiano intelligeremus, fuisse etiam illos *Sapientes & religiosos viros*, qui Confessionis Sacerdoti facte necessitatem oppugnabant: ac nisi ipse ac Magister etiam Sententiarum geminas illas, quae tunc circumferantur opiniones, permissas ac liberas dicerent. Quare respondeo, illius etatis Theologos non ita diuersè opinatos esse de necessitate confitendi peccata sua, an solum Deo, an etiam Sacerdoti faciendae esse ad illius obtinendam absolutionem; hoc enim falua fide negari non potest: sed diuersè opinatos esse de necessitate confitendi Sacerdoti in quodam peculiari casu; in quo poenitens dubitat de religione, prudentia & taciturnitate Confessarii alicuius, ne forte ab illo apud homines infametur; aut ipsemet ad peccandum inducatur. Patet id ex Magistro Sententiarum illorum Theologorum opinionibus referentes. *Dicunt aliqui, quod si quis timens detegere culpam suam apud homines, ne inde opprobrio habeatur, vel suo exemplo ad peccandum accingatur, & ideo tacet homini & reuelat Deo, consequitur veniam. Et de quo controvebant inter sese Thologi saculi decimo tertii, non de ipso fidei Capite, de quo agimus in praesentia; seu de communi & generali obligatione, peccata sua Sacerdotibus confitendi ad illorum obtinendam absolutionem: quae duo sunt inter sese longe diuersa.*

Ceterum quod laudat Gratianus, Theodori Cantuariensis dictum in Poenitentiali, illius reipsa non est, sed Concilii Cabilonenfis a nobis ante laudati; aliis tamen verbis. Nec enim ulla Graecorum mentio fit, tanquam Confessionis orales necessitatem abrogantium. Imo constat aliunde Ecclesiam Graecam hoc in Capite cum Latina apprimè consentire. Ex illorum scilicet Euehologis, & ex Testimoniis Joannis Jejunatoris, Niphori Chartophilacis, Simeonis Theffalonicensis, Gabrielis Philadelphienfis, ac demum ex Synodo Berhleemica Anno 1677. habita sub Dositheo Hierosolymitano Patriarcha.

Quod atinet vero ad Semecam Gratiani glossatorem, & ad Petri Oxomensis propositiones, respondeo, Semecam nullius apud ipsos Jurisperitos auctoritatis esse, & erravisse rerum Theologiarum ignorante. Petri Oxomensis propositiones ab Alphonso Carillo Toletano Episcopo damnatas fuisse Anno 1479. ex Theologorum, & Jurisperitorum Sententia; quod iudicium a Sixto IV. confirmatum fuit.

PRÆLECTIO IV.

Circumstantias mutantes speciem peccati, necessario confitendas esse; minime vero illas, quae nec speciem mutant, nec notabiliter aggravant, concors est Theologorum sententia. Circumstantias tamen intra eandem speciem notabiliter aggravantes in Confessione necessario explicandas esse, proponitur, demonstratur.

DE integritate confessionis hodierna luce diuini, ad faciliorem studiose Iuuentutis informationem sub ipso statim initio notandam velim triplicem circumstantiarum distinctionem: Aliae sunt circumstantiae mutantes speciem peccati, puta si fiat furtum in loco sacro, transit in sacrilegium: Aliae nec speciem mutant, nec notabiliter aggravantes; puta occidere hominem ferro vel ligno: Aliae tandem intra eandem speciem notabiliter aggravantes: puta furtum mille aureorum gravius esse furto unius aurei. Qua posita distinctione, quaerendum est nobis, quarum huiusce triarii generis circumstantiarum declaratio ad confessionis integritatem faciendae sit. De primis itaque & secundis non est hic animus disputare; cum primas necessario confitendas esse, minime vero secundas, concors Theologorum sententia sit. Dicam tamen de tertiis, de quibus invicem digladiantur perique Theologi, & Casuista, cum de hac maxime controverfia Tridentini Concilii Patres sententiam ferre noluerint, totamque iudicio, & disputationi Theologorum reliquerint; fidenterque pronuntiabo, circumstantias intra eandem speciem notabiliter aggravantes in confessione necessario explicandas esse.

Nititur in primis assertio Catechismo ipsiusmet Concilii Tridentini *part. 2. de Poenitent. §. 63.* ubi explicatissimis verbis haec habet: *Si quis aureum nummum furetur, levius omnino peccat, quam is qui tantum vel ducentos, vel ingentem aliquam auri vim, praesertim vero, qui sacram pecuniam abstulit, quae etiam ratio ad locum & tempus pertinet. Haec igitur enumeranda sunt: quae vero paucitatem rei magnopere non augent sine crimine omitti possunt.*

Nititur secundo auctoritati S. Caroli Borromei, qui in Instructionibus Confessorum a IV. Synodo Provinciali Mediolanensi approbatis, disertissime monet, *Confessarium apprimè scire debere circumstantias peccati speciem mutant, aut augentes: nam haec duae circumstantiarum species debent necessario explicari.*

Addiderim etiam ad propositae assertionis confirmationem, Veteres Canones Poenitentiales, graviores levioresque Poenitentias imponere pro eadem peccati specie, ratione duntaxat diversarum circumstantiarum. Concilium enim Elliberitanum pro varia etate varias penas imponit Sodomitis, varias etiam imponit Concilium Anciranum pro variis gradibus incestus. Et certe id ipsum ratio ipsa suadet, seposita etiam Sacrorum Canonum consideratione: Contingit enim aliquando circumstantiam intra eandem speciem aggravantem reddere peccatum magis enorme, & majori pena dignum, quam circumstantiam speciem mutantem. Certe occiso viri conjugati ex cuius unius industria, omnis & conjugis & filiorum victus ratio pendebat, gravior est occisione Clerici infimi ordinis; furtum centum mille aureorum gravius est furto unius aurei in Ecclesia. Quomodo igitur nosci poterit major enormitas peccati, ut major eidem pena applicetur, si circumstantia intra eandem speciem notabiliter aggravans non declaratur? Quis vestrum dicet cum praepcepto Confessionis factis-

DISPUTATIO VII. PRÆLECTIO IV. 465

tisfecisse, qui edicto iniusto bona totius Reipublicae explasset, dicendo se in materia gravi furatum esse? An non quaevis Sacramentum Poenitentiae laderet ille, qui amputasset alicui brachia, abscidisset linguam, & oculos effodisset, & diceret in Confessione se graviter alicquem vulnerasse?

Non refert si forte dixeris, Tridentini Concilii Patres definiens, quae circumstantiae explicandae sint, earum tantum meminisse, quae mutant speciem, circumstantiarum vero intra eandem speciem aggravantium nec verbum fecisse; Non, inquam, refert, nam etsi explicite huiusmodi circumstantias non recensuerunt, implicite tamen meminere, quia ratio quam adducunt eo loci, pro utriusque perinde probat: quia alias fieri nequit ut de gravitate criminum recte Sacerdotes censere possint, & penam quam oportet pro illis, poenitentibus imponere.

Movere hic alicquem poterit quod S. Thomas variis in locis, nempe in 4. *Sent. dist. 16. quest. 3. a. 2. quest. 5. Et dist. 41. art. 4. quest. 1. in corp. Et Opus. 12. quest. 6.* duo generaliter pronuntiat ac saepe repetit. Primo: non esse necessario declarandas circumstantias, nisi quae ad aliam peccati speciem trahunt. Secundo: Non esse declarandas circumstantias, nisi quae important speciem repugnantiam ad aliud praepceptum divinae legis: V. G. in furto: qualemcumque pecunia quantitate furetur aliquis, non habet peccatum hoc, nisi repugnantiam ad septimum Decalogi praepceptum, *Non furtum facies*. At si vel minimam quantitate furetur in Templo, habet iam repugnantiam ad aliud praepceptum *de Veneratione Sacrorum*: Unde hoc secundum vult necessario declarari, non primum.

Huic difficultati suppetit responsio Gonetii dicentis, D. Thomam velle duntaxat non esse declarandas circumstantias, quae sunt intra lineam peccati venialis & quae gravitatem infinitam non habent. Ut tamen facilius mentem D. Thomae assequamur, legatur ipse 1. 2. q. 73. a. 7.

PRÆLECTIO V.

Quibus in casibus ad Confessionis integritatem possit quis ac etiam teneretur revelare personam Complicis.

PERAETA in hanc diem de circumstantiis intra eandem speciem notabiliter aggravantibus Theologica Tractatione; Illud unum ad suscepti Instituti coronidem videndum superest, num ad Confessionis integritatem possit quis, ac etiam teneretur, revelare personam complicis. Qua in re ut ad id, quod rei caput est, sub ipsum agendam quaestionis initium accedamus, nonnulli praenotandi sunt casus, in quibus potest, imo ex charitate teneretur poenitens non revelare personam complicis. Primo: si adit copia alterius Confessoris, cui sit ignota persona complicis; tunc teneretur ipsum adire. Secundo: Si sit morale periculum, Confessarium extra Tribunal complicem infamatorum, poenitens non teneretur ipsum manifestare. Tertio tandem: si sit complex tantum in peccato veniali. His sublati casibus posse plane ac etiam teneri poenitentem ad suae Confessionis integritatem complicem revelare Ecclesiae Patrum certa mens est firmae sententiae.

S. Thomas *Opus. 22. ad F. Gerardum Lectorem Bisanthinum quest. 6.* postquam disertissimis verbis exposuit cur & quando expressio personae cum qua peccaverit aliquis, non sit in confessione faciendae, haec subdit: *Si vero speciem peccati exprimeret non possit, nisi exprimendo personam, cum*

qua peccaverit, puta si cum favore concubuit, necessario est, ut exprimendo peccati speciem, exprimat personam.

Huic adstipulatur S. Raymundus *lib. 3. §. 24.* qui eo in casu personam complicis in Confessione manifestandam affirmat, *ubi circumstantia facti talis est, quod alias non posset confiteri peccatum; ut si cognovit matrem, vel filiam, vel simile; & tunc non est dicendus praeceptor, quia non dicit ut alium prodatur, vel gravet, sed ut se libere quod alias facere non possit.*

His paria habet S. Bonaventura in 4. *Sent. dist. 21. quest. 3.* ubi conceptissimis verbis affirmat, quod cum peccata aliena ita sint nostris admixta, atque conjuncta, ut sine illis explicari propria culpa non possit: *tunc licitum est confiteri casum, quatenus non potest sine alieno peccato culpa propria explicari.*

A momentis ab auctoritate petitis feliciter expeditus, ad momenta rationum accedo, inter quae palmare illud est: Si teneretur poenitens ex praepcepto faciendae integre Confessionis manifestare peccata sua etiam turpissima, non obstante pudore & verecundia, ac etiam aliquo fama suae apud Confessarium detrimento: Cur ni dicamus tenendum esse ea revelare, etiam cum periculo alterius fama; si absque eorum manifestatione nequeat integre confiteri? Potioris certe juris est obligare alicquem, ut seipsum infamet, quam ut alienum crimen revelet; cum ex charitate magis teneamur vitare propriam, quam alienam infamiam.

Succinit momentum rationis alterum: In iudicio Capitale saculi, Reus legitime interrogatus a Iudice teneretur complices revelare; nec propterea censetur illorum infamator, & in eos maledicus, quia non animo nocendi revelat, sed iustitiae debito: Pari igitur jure teneretur poenitens complicem manifestare, cum aliter confessario delictum suum nequeat revellare; nec perinde dicendum est maledicus & infamator, cum id non animo nocendi, sed ob praepceptum faciendae integre confessionis revelet.

Addiderim etiam: Potest quisque licite uti jure suo, quaerendo propriam utilitatem, seu corporis, seu animi, tamen inde ex accidenti sequatur aliquod incommodum proximi; Certe mulier potest sese licite honesteque pro sua conditione ornare, etsi forte ex eo ornatu sequatur amor inordinatus in Juvene: nec perinde mulier venustissima teneretur faciem suam deformare. Porro poenitens jus habet imo obligationem integre confitendi peccata sua: Ergo id licite potest, etsi forte sequatur inde gravamen aliquod in complice, quem propterea revelat.

Reponet fortasse aliquis; quoties duo praepcepta concurrunt, unum juris naturalis, alterum juris divini, non debet omitti observantia praepcepti naturalis, ad implendum praepceptum divinum: Prius enim magis urget; praepceptum naturale est de proximo non infamando, divinum vero de faciendae integra Confessione: Igitur non est proximus infamandus ad faciendam integram confessionem. Infamatur autem apud confessarium, dum illius crimen reveletur, quia inde confessarius format pravum conceptum de complice, praesertim si crimen ejus turpe sit.

At inepte prorsus & inscite: quandoquidem illa non est infamatio Complicis, nisi veluti materialis, quia non fit animo ei nocendi, sed sibi consulendi, ut fiat confessio integra. Si vero Confessarius pravum de eo conceptum format, per accidens est respectu poenitentis, qui longe aliquid intendit.

Cæterum quæ hæcenus de revelatione complicis dicta sunt, de eo tantum intelligenda veniunt, qui vere proprieque complex est, seu ipsiusmet criminis particeps, de quo quis semetipsum confiteatur reum; de eo enim volumus Confessarius sui habet cognoscendi ad confessionis integritatem. Quare si frater commisit incestum cum sorore volente & consentiente, tenetur hoc ipsum in Confessione aperire; quia soror volens & consentiens vere confeser complex & particeps criminis; at si reluctanti penitus ac repugnanti vim intulit, non debet penitens conditionem sororis declarare, quia soror reluctans & repugnans non est complex, & criminis sociæ: satisque erit si dixerit, commisi incestum cum consanguinea reluctante ac repugnante. Similiter si filius Matri pharmacum dederit ad extinguendam prolem conceptam ex adulterio, satis erit si dixerit, se Matri dedisse pharmacum illud ad prolem extinguendam, quia ea in parte mater cum filio homicidii rea est; nec ultra necesse est, ut addat, prolem illam ex adulterio fuisse conceptam, quia in adulterando non fuit complex filii, sed alterius.

Unus tamen casus est, in quo penitens non potest revelare personam veri Complicis, tamen si ea revelatio ad Confessionis integritatem necessaria videatur nihilque sibi timeat ab imprudentia Confessarii: Si nimirum Sacerdos ipse qui confiteatur, nequeat suum peccatum aperire nisi violando sigillum Confessionis alias sibi factæ: seu nisi detegendo peccatum penitentis sibi antea confessi. Quia Christus Sacramentum Pœnitentiæ tamstricto sigillo munivit, ut nulla de causa violari possit. Unde licet integritas Confessionis sit de iure divino, sicut obligatio sigilli, necessitas tamen observandi sigilli maior est, quam obligatio integritate confitendi. Sed de his plenius in sequenti.

PRÆLECTIO VI:

Sigillum Confessionis quid sit; & quo iure obliget, demonstratur. Nullo unquam pretextu violari posse multis ostenditur; quæ in contrarium afferuntur momenta, convelluntur. Quo tandem in casu quis uti possit scientia habita in confessione, quin peccet contra legem Sacramenti, proponitur, explicatur.

Quam fuso ac redundanti sermone de Confessionis integritate in antehabitis disputavimus, tam brevi atque conciso de eius sigillo dicemus; Neque enim pluribus opus est iis expediendis solvendisque difficultatibus, quæ hoc de argumento moveri possunt. Totum ergo quod solet a Theologis disputari, ad tria capita revocabimus, in quorum primo exponemus, quid sit Sigillum Confessionis. In Secundo: quo iure teneatur Sacerdos illud servare; In Tertio: nullo unquam pretextu violari posse: ordiamur a primo.

Sigillum Confessionis nil aliud est, quam strictissima Confessarii obligatio nullo pretextu manifestandi ea, quæ audivit in Confessione penitentis: quæ sane obligatio per metaphoram a Theologis sigillum appellatur, eo quod peccata Confessarii a penitente concessita perpetuo & inviolabili silentio, quasi sacro Sigillo obsignantur: Ad quod servandum Confessionis Sigillum triplici iure tenetur Confessarius; nimirum iure naturali, divino, & Ecclesiastico. Teneri iure naturali, ratio duplex evincit, meo quidem iudicio decretoria: Si enim naturali iure tenetur quisquam nemini pandere, quod ei extra Confes-

sionem fuit sub sigillo manifestatum; quo potiori iure tenebitur Confessarius ea non revelare, quæ audivit in Confessione? Ad hæc etiam: Naturæ ius nobis insinuat tueri famam proximi, nec alteri facere, quod nobis metipsis non volumus. Diffamaret porro proximum suum Confessarius ea revelando peccata, sibi in secreto confessionis a penitente manifestata. Tenetur secundo iure divino: certe enim Confessarius in Sacramento Pœnitentiæ unam constituit eum Christo personam; quemadmodum ergo nefas est dicere, Christum ad ignominiam consentiens proditorem esse peccata, quæ dimitrit per suos ministros: dum ait per Ezechielem 18. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor: ita nec ministri ea poterunt revellare.* Teneri tandem iure Ecclesiastico liquet ex gravissimis pœnis peregrinationis, depositionis, perpetuæque inclusionis in archioribus Monasteriis a Sacris Canonibus iis Sacerdotibus indictis qui peccata sibi in Confessione detecta revelare ausi sint. Præsto est Canon Sacerdos de pœnitentiâ dist. 6. cap. Sacerdos; sub Gregorii nomine; Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, quæ ei confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neque quod absit pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vite sue ignominiose peregrinando pergat. Præsto est & Canon 21. Concilii Lateranensis IV. sub Innocentio III. celebrati. Caveat autem omnino ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodatur peccatorem. Sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione persone caute requiratur. Quoniam qui peccatum in pœnitentiâ iudicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum. (a)

His itaque expositis, ad rem ipsam propius accedamus, statimamque, tam arctam legem esse & obligationem sigilli Confessionis, ut quocumque pretextu etiam boni publici violari non possit.

Illud in primis solemne est, atque exploratissimum omnibus, Sacramentum Pœnitentiæ fuisse institutum a Christo, ut medium ad bonam & conservationem Ecclesiæ; Tantum porro abest, ut violatio sigilli possit conducere ad bonum & conservationem Ecclesiæ ut ipsum potius destruat, quandoquidem tolleret præceptum divinum de faciendi confessione; quis etenim esset, qui vellet peccata sua propriæ famæ denigrativa Sacerdoti detegere & revelare?

Ad hæc etiam: quod est intrinsece malum assumi nequit ut medium ad procuranda bona, vel ad vitanda mala; Violatio porro Sigilli est intrinsece mala; tum quod revellare confessionem idem est ac mentiri, nam qui eam revellat, dicit ut homo se scire, quod nescit ut homo, sed ut Dei vicarius; tum quod ea revelatio est a præcepto de faciendi confessione retractiva, ut in antecessum ostendimus. Quod certe in causa fuit, ut antiqui Ecclesiæ Patres in id maxime curam omnem ac studium impenderent, ut ii, qui confessionibus excipiendis præficerentur secreti maxime tenaces essent, uti narrat Sozomenus Hist. lib. 7. cap. 16.

Quapropter Ecclesiæ haud levem injuriam irrogant, qui ea probante aliquando violatum Confessionis sigillum fabulantur, maxime vero sæculis 13. & 14. Quod ut probent factum referunt, ex Casario Monacho Heisterbacensi in Dialogis Miraculorum dist. 3. cap. 32. seu lib. 3. Histo-

riarum

riarum Memorabiliū cap. 32. (In domo quadam Cisterciensis Ordinis, Monachus quidam sine ordine celebravit. Hoc cum die quadam Abbat suo retulisset in Confessione, nec tamen cessare vellet a tanta presumptione; Abbas dolens & lacrymans, ut a blasphemiam magna desisteret, miserum rogavit, monuit, præcepit, sed non profecit. Ille enim timens notari si cessaret, celebravit ut prius. In sequenti Capitulo generali Abbas idem proposuit casum eundem, interrogans, quid faciendum foret Confessori, si forte tale quid in aliqua Domo emergeret. Cumque Dominus Cisterciensis, & cæteri Abbates super hoc nihil auderent definire, casum scripserunt Innocentio Papæ; qui convocans Cardinales virosque litteratos, casum illis proposuit; & quid de hoc sentirent a singulis requisivit. Omnibus pene in hoc sententibus, quod Confessio non esset prodenda, respondit, ego dico in tali articulo esse prodendam; quia talis confessio non est confessio, sed blasphemiam; nec debet confessor blasphemiam talem & insaniam celare, per quam periculum incumberet toti Ecclesiæ. Et placuit sententia omnibus: scripsitque sequenti anno Capitulo quod a se fuerat determinatum, & a Cardinalibus approbatum. Ex quo colligitur Innocentium III. Pontificem juris licet consultissimum, & in Theologia apprime doctum, Sigillum Confessionis Sacramentalis referari aliquando posse in ipso D. D. Cardinalium Consistorio, pronunciasse, ac etiam reserari iussisse.

At etiam quicquid Innocentium eo lato iudicio Sigillum Confessionis aliquando reserandum esse comminiscitur. Erat dubio procul prodenda confessio, quæ re ipsa Sacramentalis confessio non erat, sed simulatio Confessionis. Sacrilegus quippe Monachus facinus suum Abbati suo detexerat, non animo se accusandi coram Deo, & subjiciendi se Clavibus Ecclesiæ, sed pertrahendi Abbatem in criminis sui patrocinium, aut illum impediendi a puniendo scelere, quod aliunde forte noverat, aut certe in illud inquirendi, quod ex vehementibus indiciis poterat suspicari. Quæ in specie nemo negaverit prodendam esse confessionem; cum Sacramentalis confessio re ipsa non sit, sed simulatio confessionis atque irrisio, externa Sacramenti specie tecta, ad malum finem. Unde prudentissimus Pontifex dixit, est prodenda confessio, quia non est confessio, sed blasphemiam.

Idem in simili specie iudicium tulit Innocentius hujus nominis quartus; prodendam esse Confessionem Cardinalis nescio cuius, qui alteri Cardinali confessus erat, ut eum in criminis societatem pertraheret. Factum refert Dominicus Soto in 4. Sent. dist. 18. quest. 4. art. 5. Cardinalis quidam, qui conspirationem in Pontificem moliebatur, confessus est alteri ejusdem ordinis Domino, & quidem Sacramentaliter; sed tamen ea intentione, ut eum in suam conjurationem traheret. Postea vero per aliam viam re comperita, Cardinalis qui confessionem audierat, de hoc accusatus fuit, quod rem non protinus detexisset; & ob id fuit pecunia multatus; & nisi ignorantiam sibi obtendisset, acrius fuisset punitus: Ob id certe quod hujusmodi confessio, per speciem duntaxat Sacramentalis, Sigilli religionem non induceret.

Non omiserim tamen observare, Cæsarii Monachi fidem in Historiis referendis admodum esse lubricam. Tum quod sexcentas alias naniæ, & fabellas, ab omni veri specie prorsus alienas; uti novissimus Dialogorum illorum Editor in præmissa Operi præfatione monet. Tum quod hanc

Serry Tom. IV.

(a) Apud Gonet.

ipsam de Monacho Cisterciensi Historiam, ex aliorum duntaxat relatione accepisse se; initio profiteatur. At de hoc satis.

Equa facilitate diluatur momentum itidem alterum petitum ab Adversariis ex ea revelatione, a Matteo Parisio relata ad annum 1257, fiducialiter facta a quodam Presbytero Innocentio IV. Pontifici, illius nazariæ conspirationis, quæ a Waltero de Oca Frederici II. Clerico & Consiliario una cum milite transfuga ad eadem Pontificis subornatum fuisse, Reginaldus hospes Walteri morti proximus, eidem in confessione revelaverat. Credere namque par est Reginaldum, qui penitens decesserat ex hac vita permisisse confessario, ut suam posset confessionem manifestare; quo in casu confessarius non violat Sigillum Confessionis, sed potius ipse penitens illud solvit, ut innuit D. Thomas in 4. Sent. dist. 21. quest. 3. art. 2. in Corp. ubi postquam assignat rationes, propter quas tenetur Sacerdos occultare peccata sibi dicta in confessione, hæc paucis interjectis subjungit: *Potest autem penitens facere, ut illud, quod Sacerdos sciebat ut Deus, sciat etiam ut homo: quod facit dum licentiam eum addicendum, & ideo si dicat, non frangit Sigillum Confessionis.*

Posito igitur, statutoque principio, Sigillum Confessionis nullo unquam pretextu violandum esse; Illud nunc ad instituti coronidem examinandum superest: an possit quis uti saltem cognitio, ne per confessionem habita ad externam gubernationem, proindeque possit ex tali cognitione amore subditum penitentem ab officio ad nutum mutabili, vel in electione ad officium, quo in audita confessione novit indignum, possit ei sine violatione Sigilli denegare suffragium, Paucis respondeo; quod usus scientiæ quoties non manifestat peccatum, nec ejus suspicionem ingerit, non peccat contra legem secreti, qui ea scientia utitur; ratio in promptu est, & a D. Thoma insinuata: Cum enim quis possit multas ob causas & eligi, & amoveri ab officio, nulla proinde induci potest suspicio de revelatione Confessionis. Si aliquis (ait Doctor Angelicus art. 1. ad 4.) per confessionem alicujus, quam audivit, novit ipsum esse prælatione indignum potest ei denegare suffragium, quia ex multis aliis causis redditur quis indignus ad prælationis officium, quam ex peccato, sicut ex defectu scientiæ, vel ætatis, vel alicujus hujusmodi. (a) Notandum est tamen peccare posse alio ex capite, onerosam & odiosam reddendo confessionem: Unde Clemens VIII. anno 1594. die 16. Maii Decretum edidit, quod prohibuit Superioribus ne ad regimen utantur cognitione habita ex confessione sibi facta, si videlicet hoc sit vel minimum penitenti incommodum. Non prohibet tamen Decreto suo, ne Superiores certos actus exteriores edant, qui confessionem minime gravem & onerosam reddere possunt, puta ut fiant prudentiores & cautiore in bono regimine; in impediendis occasionibus peccati, ut tuta reddant septa Monasterii & alia hujusmodi.

N n n 2 PRÆ.

(a) Apud Juvénis quest. 5. de Confessione pag. 438.

PRÆLECTIO VII.

Absolutionem in Sacramento Pœnitentiæ verbis indicativis exprimendam esse, propugnatur. Absolutionem, & Confessionem per litteras & internuntium nullatenus faciendam esse, probatur, latiusque Summorum Pontificum iudiciis confirmatur; Adversariorum momenta, occupantur.

DE absolute hodierna luce dicturi, non tam graves ac numero multæ, quam salebrosæ ac permolestæ controversiæ dirimendæ veniant, pro quarum enodatione multa dicenda essent, quæ nos per multos etiam dies occuparent: sed a viro memoriter dicente ex Cathedra, fusc ac minutatim pertractari non possunt: quippe quæ virum sedentem ad pluteum deprecarent. Idcirco nos multa paucis expediemus, & controversiam ad duo capita revocabimus; in quorum primo quæremus de verbis, quæ absolute est exprimenda; in secundo: an absolutio & confessio per litteras & internuntium dari possit. Ordiamur a primo: Mirum est, Aud. ornat., quantum inter se invicem digladiantur Theologi, dum de forma absolutio-nis sermonem instituunt. Sunt enim qui putant, formam absolutio-nis verbis indicativis prolatam nullam esse; Sunt alii e contra, qui formam hanc verbis sive deprecatoriis, sive absolutis exprimi perinde posse contendunt. Alii tandem sustinent, absolutio-nem verbis tantummodo indicativis esse exprimendam; In quam sane sententiam utpote recte rationi, & Scripturarum Oraculis innixam magis, & nos libentius descendimus.

Hoc primum ducendæ probationis principium esto certissimum, Sacramentum Pœnitentiæ fuisse institutum a Christo verbis tantummodo indicativis; quandoquidem legitur Joan. 20. *quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo; non quæcumque petieritis solvenda, erunt soluta & in Cælo*, quæ verborum formula deprecativa esset. Quin & hoc aliud addiderim a D. Thoma insinuatam Opuse, 22. Christus dedit Apostolis suis, & eorundem successoribus actualem potestatem absolvendi a peccatis. Si porro uteretur Confessarius verbis deprecativis, peccator actualiter non absolveretur; nam qui petit aliquid esse solutum, jam non solvit.

Hoc alterum esto peræque certum: Absolutio Sacramentalis est actus judicialis, quem Sacerdos exercet; seu est actus, quo a Sacerdote velut a Iudice Christo sententiâ pronuntiatur. Quis porro Iudex est in humanis, qui verbis deprecatoriis suam pronunciet sententiâ?

Nec quidquam valet exemplum, quod in oppositum afferunt absolutio-nis judicialis a censuris, cujus verba præfixa non sunt, quæque potest quibuscumque verbis pronuntiari. Dispar enim est ratio absolutio-nis a censuris, quam absolutio-nis a peccatis. Absolutio a censuris non est Sacramentalis, sed tantum judicialis; Absolutio vero a peccatis Sacramentalis est. In illa, habent verba efficaciam ab intentione proferentis, proindeque quibuscumque verbis uti potest. In hac; verba efficaciam recipiunt ab intentione instituentis; & per consequens utendum est verbis consonantibus divinæ Institutioni, Christum porro instituisse Pœnitentiâ verbis indicativis, satis in antecessum ostendimus.

Non abs re fuerit allatis hisce rationibus addere, quod observavit P. Martene Ordinis S. Benedicti, scriptor nunquam mihi sine laudis Præfatione nominandus lib. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus cap. 6. art. 5. ubi vidisse ait in quatuor per-vetustis Ritualibus manuscriptis; nimirum in Pon-

tificali Anglicano characteris nongentorum circiter annorum; in Pontificali Egherti Eboracensis Episcopi, Saxonice litteris scripto; in verustissimo tandem, Gellonensi, & Remensi S. Remigii, Longobardicis litteris exarato; Formam absolutio-nis verbis tantummodo indicativis expressam; ex quo colligi potest eam, quæ etiamnum hodie in Ecclesiâ viget absolutio-nis forma indicativis verbis expressa, omni retro ætate frequentatam fuisse.

Nec sententiæ huic nostræ officit ille Græcorum usus nonnisi deprecative absolvendi, quem nonnulli afferunt in contrarium. Quam enim id falsum, & ab omni veri specie alienum sit, colligitur primo ex eo Græcorum Euchologio, quod edidit Pater Jacobus Gobat Ord. Prædicatorum qui in partibus Orientalibus in Fidei propagatione diu multumque elaboravit, in quo præmittuntur quidem hæc verba ad modum deprecationis expressa: *Domine noster Jesus Christus & Deus qui mandatum ligandi & solvendi peccata Discipulis tradidit, prætereat (remittat) omnia peccata tua; Tamen hæc alia indicativa sequuntur: Ego vero indignus ejus servus absolvo te a peccatis tuis, (quæcumque erit natus conceptus ex) tum subinde: Dominus justus, qui propter nos carnem assumpsit, & universi Orbis peccatum tollit, delicta tua delinat: Ego vero condono tibi omnia peccata tua. Quæ verba uti videtis pure indicativa sunt.*

Hujuscæ veritatis fidem etiam locupletissimam facit Arcadius, qui de forma absolvendi Græcorum fusc admodum disputavit. Hic enim lib. 4. de Sacram. cap. 3. nonnullas profert absolutio-nis Græcorum formulas, easque verbis indicativis expressas, puta, *Habeo te absolutum. . . habeo te venia donatum, quæ verborum formula Græce idem sonat, ac latine: Ego te absolvo.*

Quod vero alii multi ex SS. Patribus Augustino lib. 3. de Bapt. cap. 16. & Hom. 49. cap. 3. & ex Canone multiplex de Pœnit. dist. 1. ex Epist. 99. Leonis Pontificis desumpto, momentum obtrudunt, adeo futile est, ut nihil magis. Quandoquidem Patribus utriusque Ecclesiæ solemne est, ut quæcumque formas Sacramentorum, orationes, ac preces promiscue vocentur, tamen non sint de necessitate Sacramenti; Patet id in Sacramento Pœnitentiæ, quod manuum impositio a Patribus appellatur, nec per hoc est de necessitate Sacramenti.

Succedit nunc suo ordine quæstio altera: num scilicet absolutio & confessio per litteras & internuntium fieri possit; pro cuius elucidatione, notandum velim, diram olim & magnis hinc inde hac de re studiis agitatam fuisse controversiam, pluribus in utramque partem productis momentis; quæ tandem ex insulsi cerneribus a nonnullis recentioribus Theologis educta fuit in Hispaniis, qui manibus, ut dicitur, pedibusque defendendam susceperunt, perinde ac si pro artis ac foci dimicandum esset. Quæcumque tamen fuerit istorum opinatio, de eadem quæstione in præsentia & ego sermonem habiturus, dicam libere, nec absolutio-nem per litteras, vel internuntium ab Sacerdote absente dari posse; nec Confessionem per litteras & internuntium fieri posse.

Primum probationis momentum ex eo maxime evinco, quod Concilium Florentinum, & Concilium Tridentinum eliquatissimis verbis statuerunt, formas Sacramentorum esse verba, solo excepto Sacramento Matrimonii, cui regulariter tantum necessaria esse verba pronuntiarunt: Si ergo ab ea universali verborum necessitate solum Matrimonium regulariter exceperunt, argumento est, in aliis omnibus eam specialiter necessitatem prærequirendam putasse: Alias Matrimonium ab ea universali lege in vanum exceperunt.

Mo.

Momentum probationis alterum singulatim peti potest ex aliis omnibus Sacramentis, quæ in Romana Ecclesiâ omni retro ætate & etiamnum hodie vocæ humana, non scripto aut nutu, aliisque non ab similibus signis, perficiuntur. Quis unquam dixerit, Baptismum, Cõfirmationem, Eucharistiam, & alia quæcumque, nutu, scripto, aut signo perfici posse?

Suffragatur & ratio meo quidem iudicio decretoria: Absolutio nonnisi præsentem impendi potest; tum ex phisica vi formarum agentium in materiam duntaxat præsentem; tum ex morali ratione ut Sacerdos certum sit de contritione pœnitentis pro eo momento, quo absolute-nem impendit.

Restat nunc, ut dicamus, nec Confessionem per litteras & internuntium ad Sacerdotem absentem fieri posse; quod loco secundo proposuimus. Certe qui post Baptismum peccarunt, ante Tribunal pœnitentiæ tanquam reos sibi voluit Christus, ut facta Sacerdoti integra confessio peccatorum, ab eo possint sacramentali absolute-nione liberari. Sisti porro ante Tribunal, aut confugere ad Sacerdotem quid aliud sonat, quæso vos, quam præsentem confiteri præsentem, & per septeptimum manifestare peccata?

Confirmat hoc multo magis ac roborat, quod observarunt plerique non infimæ notæ Theologi in supposito libro Augustini de vera & falsa pœnitentiâ cap. 10. ubi dicitur, idcirco Christum leprosus a se mundatos ad Sacerdotem misisse, ut diceret corporali præsentia constanda esse peccata, non per nuntium aut scriptum manifestanda. Quibus sane rationibus permotus Clemens VIII. eorum Theologorum sententiam ne dum uti falsam, temerariam, & scandalosam proseripit, temere contentendum licitum esse per litteras seu internuntium Sacerdoti absenti peccata confiteri, & ab eodem absente absolute-nem obtinere; sed etiam sub pœnis gratioribus præcepit, ne imposte-rum hanc sententiam publicis privatique concertationibus edocere quis audeat.

Extat discretissimum Pontificis Decretum editum die 20. Junii Anno 1602. in Generali Congregatione S. Romanæ & universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico in monte Quirinali; conceptum his verbis: *Sacratissimus Dominus noster auditis votis Patrum Theologorum, & eo cum Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hereticam pravitatem Generalibus Inquisitionibus mature ac diligenter considerata, hanc propositionem: Scilicet licere per litteras, seu internuntium confessorio absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolute-nem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam condemnavit, ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio publicis privatique sectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad præxim quovis modo deducatur. Quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut etiam de ea disputative tractaverit nisi forsitan impugnando, vel ad præxim, seu directe vel indirecte deduxerit, præter excommunicationem late sententiæ, quam ipso facto in-*

currat, & a qua non possit, præterquam in articulo mortis ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, & S. Romanæ Ecclesiæ majori Pœnitentiario, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi, abis etiam pœnis arbitrio infligendis subiacet. Quis contra mutire, quis hircere audeat?

Attamen quod notandum velim in majorem facti, quod hic expendimus probationem, istud est: Cum vidisset Suarez, adversæ sententiæ defensor & vindex, ejusque gregales non pauci, suam illam sententiam de Confessione & Absolute-nione per litteras & internuntium faciendâ, lato Clementis Decreto sublatam atque proseriptam, vanis illico interpretamentis quæserunt Decretum illud explicare, ut hoc pacto vim ejus & robur infringenter. Quod cum Paulus V. Pontifex audierit, novo lato Decreto in generali Inquisitione die 14. Julii 1605., eam Suarezii interpretationem rejectit, decrevitque ab omnibus libris, in quibus continetur, esse omnino expungendam: *Propositi (Decreti verba sunt) causa P. Francisci Suarez Jesuite, & consideratis bis, qua scripsit Tomo 4. in 3. partem S. Thome Sectione 4. disp. 21. interpretando Decretum felicitis recordationis Clementis Papæ VIII. die 10. Junii anno 1602. quo damnatis hanc propositionem: Licere per litteras, seu internuntium, confessorio absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absolute-nem obtinere; ac etiam mature discussis bis, qua idem Pater Suarez adduxit in defensionem suæ interpretationis, auditis votis Illustrissimorum D. D. Cardinalium Sanctissimus decrevit dictam interpretationem non subsistere, & ideo amovendam esse ab ejus libris juxta decreta alias facta a felicitis recordationis Clemente Papæ VIII. in articulo S. Officii.*

Quod tandem confirmatum fuit alio lato Decreto ejusdem Congregationis die 18. Augusti ejusdem anni. (a) Quibus positis scire velim, an non in fumum abeat, quæ subinde in contrarium nobis occurrant?

Nihilotamen minus non desunt Adversarii in sui erroris præsidium novos nodos innectere. Valet, inquit, absolutio data moribundo, qui vocis ac sensuum usum amisit, & cujus confessionem nonnisi per testes potest Confessarius agnoscere. Eo in casu, inferunt hi, quis neger fieri confessionem absenti per internuntium? Quibus reponere satis sit, nos in subiecta quæstione respicere tantum communem, & ordinarium modum, quo confitentur pœnitentes; non vero casum illum peculiarem & extremæ necessitatis, in quo judicat pia mater Ecclesiâ sufficere desiderium, ad hoc ut absolutio-nis beneficium impendatur. Quinimo addiderim, eo in casu, etsi non petierit præcipiti casu præreptus, si sit probata vitæ, applicandam esse absolute-nem ab omni Sententiâ & peccato; ut colligere est ex Sacerdotale Romano Venetiis edito anno 1560. nec minus luculenter evincitur ex Statutis Synodalibus Cleri Lemovicensis anni 1619. Quod tandem liquet catechumenorum exemplo relato ab Augustino lib. 1. de adulterinis conjugis ad Pollentium. (b)

D I S.

(a) Jurven. Dissert. 6. de Pœnit. pag. 500. Lugduni 1722.

(b) Jurven. quest. 7. de absolute-nione pag. 504. & 505. Lugduni 1722.